

311

309

315

305

320

300

360

260

410

210

Ende

Anfang

296

calamum cum spongia et omnia instrumenta, quibus usi fuerant
in crucifixione Christi et duorum latronum, quae omnia cum
crucibus, tamquam immunda, in locum proiecserant. Hanc
sacram speluncam circumstetimus cum cantibus et laudibus,
inventam ibi crucem laudantes, et singuli provoluti locum
deosculati sumus, et indulgentias (††) plenariae remissionis
acepimus.

Porro in loci illius deoseulatione sensimus dulcem spirare
odorem ex specu, ex quo odore plurimum aedificati, confortati,
et consolati fuimus, pro eo, quod percipere meruimus reliquias
illius dulcissimi odoris, qui ex eo specu exhaluit, dum Judas
Quirinus fodens super crucem venit, ut legitur de inventione
crucis sanctae.

Horribilis est locus ille et profundus in rupibus. Sed
quomodo cruces tam profunde in viscera terrae fuerint immer-
sae, facile est videre illi, qui civitatis sanctae antiquam dispo-
sitionem scit et legit. Antiqua namque civitas Jerusalem a
parte occidentis, ubi crucifixus fuit Dominus, erat profunda
voragine cincta, quae ab austro in aquilonem protendebatur ad
longitudinem civitatis. Et ista vorago non fuit arte, sed natu-
raliter, pro civitatis fossato scopulis et rupibus sese respicien-
tibus ab utraque parte voragini. Super interiores scopulos
et petras erat murus civitatis (B) circumductus, exteriores
vero rupes eminebant in civitatis munitionem. Inter scopulos
autem exteriores dicebatur unus Calvarius, et locus sub eo
Golgatha. Et in Calvario crucifixus est Dominus cum duobus
aliis, quibus a crucibus solutis ipsas cruces in voraginem illam
proiecserunt cum aliis instrumentis crucifixorum, quia Calvarius
stabat super marginem voragini, et non aliud fecerunt, nisi
quod cruces de foraminibus petrae extraxerunt, et in foveam
praecepitaverunt, sicut et alias immunditias in eam projicerent
solebant, quibus cruces post modicum operatae fuerunt, quia de
muro civitatis cottidie immunditias effuderunt. Demum anno
XLII. post passionem Christi, cum Titus Jerusalem everteret,
projici fecit muros et turres ibi in voraginem illam, et ita
cottidie cruces magis ac magis operiebantur. Deinde post
LXXVII annos venit Helius Adrianus imperator, et in odium
Christianorum aedificavit in Golgatha templum spurcissimum,

